



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

Fargna, Francesco de

Romæ, M. DCC. XIX.

Canon IV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72172)

per majorem partem Capituli in persona Primicerii sit irrita, non proinde sequitur quod sit valida, & conclusa electio Archidiaconi in Vicarium facta à minori Parte; Etenim quod eligente majori parte non idoneum, & inhabilem, totum jus consolidetur in minori parte, procedit in casu, quo electio competat pluribus uti universis, quia in hoc casu, cum jus eligendi resideat penès Universitatem, vel penès majorem partem universitatis, attenditur solum quod fit à majori parte, non curato eo, quod fit à minori. *Lambertin. de Jurepat. lib. 2. par. 3. q. 4. art. 5. n. 1. Rot. decis. 568. n. 2. par. 2. rec.* Et ita ¹¹ resolutum fuit à S. Congregatione Concilii in *Acernen. Vicarii Capitularis 23.*

Febr. 1709. ubi cum major Pars Capituli elegerit in Vicarium non Doctorem, & minor pars deputaverit alium Laurea doctoratus insignitum, S. Congregatio declaravit *neutram electionem sustineri*; cui consimilis fuit altera resolutio in *Nazarena Electionis Vicarii Capitularis 11. Septembris 1717.*, ubi cum ex viginti sex Capitularibus, quindecim, elegerint non Doctorem; & undecim, alium Doctorem, in jure Canonico, censuit *neutram electionem sustineri, & facultatem eligendi devolutam esse ad viciniorum*. Si igitur praefatus Archidiaconus fuit nulliter electus in Vicarium Capitularem, sequitur quod praesentatio coram ipso facta sit nulla, & non sustineatur.

C A N O N IV.

CONCILIUM TRIDENTINUM Sess. XXI. Cap. VII.

CUM illud quoque valdè curandum sit, nè ea, quæ sacris ministeriis dedicata sunt, temporum injuria adolescant, & ex hominum memoria excidant, Episcopi etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegati transferre possint Beneficia simplicia, etiam jurispatronatus, ex Ecclesiis, quæ vetustate, vel alias collapsæ sint, & ob eorum inopiam nequeant instaurari, vocatis iis, quorum interest, in Matrices, aut alias Ecclesias locorum eorumdem, seu vicinorum, arbitrio suo: atque in eisdem Ecclesiis erigant Altaria, vel Cappellas, sub eisdem invocationibus: vel in jam erecta Altaria, vel Cappellas transferant cum omnibus emolumentis, & oneribus prioribus Ecclesiis impositis; Parochiales verò Ecclesias, etiam si jurispatronatus sint, ita collapsas, refici, & instaurari procurent ex fructibus, & proventibus quibuscumque, ad easdem Ecclesias quomodocumque pertinentibus, qui si non fuerint sufficientes, omnes Patronos, & alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectum Parochianos omnibus remediis opportunis, ad prædicta cogant, quacumque appellatione, exemptione,

& con-

& contradictione remota. Quod si nimia egestate omnes laborent, ad matrices, seu viciniore Ecclesias transferantur, cum facultate tam dictas Parochiales, quàm alias Ecclesias dirutas in profanos usus non sordidos, erecta tamen ibi cruce, convertendi.

COMMENTARIUM

EX hoc Canone sequentes deducuntur conclusiones.

Prima -- ECCLESIA, SI SIT COLLAPSA, ET OB EJUS INOPIAM, NEQUEAT INSTAURARI, BENEFICIA SIMPLICIA JURISPATRONATUS IBI FUNDATA, VOCATIS PATRONIS, TRANSFERRI POSSUNT AB EPISCOPO ETIAM UTI SEDIS APOSTOLICÆ DELEGATO AD ECCLESIAM MATRICEM, AUT AD ALIAM ECCLESIAM VICINAM CUM EISDEM EMOLUMENTIS, ET ONERIBUS =.

Secunda -- ECCLESIA PAROCHIALIS JURISPATRONATUS, SI SIT COLLAPSA, REIFICI DEBET EX EJUS FRUCTIBUS, ET SI ISTI SINT INSUFFICIENTES, COGI POSSUNT PATRONI, ET IN HORUM DEFECTUM PAROCHIANI AD ILLAM REIFICIENDAM, ET SI OMNES SINT EGENTI, TRANSFERRI DEBET AD ECCLESIAM MATRICEM, AUT AD ALIAM VICINIOREM =. Quas probant etiam *Lambertin. de Jurepat. lib. 3. art. 2. quest. 7. n. 7. Surd. conf. 62. num. 1. & seqq. A Mostaz de Caus. piis lib. 5. cap. 6. n. 17. & seqq. & cap. 12. n. 52. Barbof. hic, & de offic. & potest. Episcopi par. 3. alleg. 66. n. 8. & seqq. & de Paroch. cap. 13. num. 1. & seqq. Tondut. quest. Benef. p. 1. cap. 38. n. 10. & seqq. & cap. 39. num. 5. & par. 3. cap. 129. n. 15. Ventrigl. in prax. tom. 2. annot. 18. §. unic. n. 6. & 10. cum seqq. Lotter. de re benef. lib. 1. quest. 11. n. 77. Caren. resol. 248. n. 1. & seqq. Solorzan. de Jur. Indiar. lib. 3. cap. 23. num. 9. Pignatell. consult. 60. num. 1. & seqq. tom. 8. Bellet. disquisit. Clerical. par. 1. tit. de cleric. debit. §. 14. num. 11. Rot. decis. 67. n. 4. 6. 10. cum seqq. & decis. 407. n. 2. & seqq. coram Emerix Jun. & in Leodien. Restaurationis Turris Navis Ecclesie 18. Febr. 1709. §. Vindicatis, coram R.P.D. Crispo, & in Savonen. Restaurationis Parochialis Ecclesie 8. Martii 1709. cor. Eminentissimo Scotto. Superiùs impress. Par. I. Can. IV. Cas. XI. num. 12.*

I Statuit hic Concilium translationem beneficiorum tam simplicium, quàm Parochialium de Jurepatronatus, in casu, quo Ecclesia, ubi dicta Beneficia sunt fundata, sit collapsa; Ratio ita statuendi fuit nè ea, quæ sacris ministeriis dicata sunt, temporum injuria adulescant, & ex hominum memoria excidant: & ut Christi fideles videntes indemnitati juris fundatorum satis esse provisum in casu, quo Ecclesie sint collapsæ, sic magis alluciantur ad eas fundandas, vel construendas. Decrevit tamen remedium hujusmodi translationis esse subsidiarium, nimirum in casu, quo Ecclesia collapsa nullatenus refici possit, ac præscripsit formam eam reficiendi; Primò enim voluit, ut reficeretur ex redditibus, & fructibus ipsius Ecclesie, ea clara ratione, quia cum fructus, & redditus isti sint destinati ad reparationem, & reedificationem Ecclesie, refectio, & reparatio est ex eis facienda. Si verò Ecclesia Parochialis patronata sit pauper, & non habeat unde reficiatur, aut reparetur, tunc reparari, & refici debet à Patrono, quia inter Ecclesiam, & Patronum est reciproca obligatio, sicuti itaque Ecclesia dat Patrono jus honorificum præsentandi, & eum alit in casu inopie, ut diximus supra Par. I., similiter Patronus tenetur eam reficere, & reparare, si propter inopiam suis expensis non possit reparari. Si autem tam Ecclesia, quàm Patronus nimia præmantur egestate, Parochiani contribuere debent pro refectioe, & reparatione Ecclesie, quia pertinet ad horum spiritua-lem utilitatem Ecclesiam, à qua sacramenta, & pabulum spirituale recipiunt, habere.

Quoad has conclusiones infra scripti examinantur Casus.

ARGUMENTUM.

Ecclesia Parochialis de Jurepatronatus minans ruinam in aliqua ejus parte, & angusta ob populi numerositatem, si solo æquatur ab Episcopo, cujus expensis sit reficienda?

SUMMARIUM.

- 1 *Ædificia suam habent ætatem.*
- 2 *Patronus in subsidium tenetur reparare, & reficere Ecclesiam Patronalem collapsam, aut minantem ruinam, & num. 11. Intellige, ut ibi. Amplia, ut num. 3., & 12.*
- 3 *In Refectione, & reparatione Ecclesie servanda est consuetudo, & num. 9.*
- 4 *Parochus, si velit adstringere Patronum, aut Parochianos ad reparationem, aut refectionem Ecclesie an, & quando teneatur probare hujus paupertatem; & numer. 5., & .*
- 7 *Ecclesie demolitio, aut ruina provenire potest ex duplici principio.*
- 8 *Ruina, & demolitio Ecclesie, aut domus Parochialis si proveniat à Principio voluntario, seu ex aliquo damno dato, est reficienda, vel reparanda expensis damnificantis.*
- 9 *Si procedat à Principio necessario; seclusa consuetudine, reficienda est ex redditibus Ecclesie, aut ab illis personis, quæ percipiunt decimas, & emolumenta in Fabricam conferenda; & num. 10.*
- 13 *Episcopus cogere potest Patronum, vel Parochianos ad reparationem, vel refectionem Ecclesie, etiam si isti sint exempti ab ejus jurisdictione.*
- 14 *Si tam Ecclesia Parochialis, quàm Patronus sint pauperes, Ecclesia, aut domus Parochialis refici debet à Parochianis. Amplia ut num. 15.*
- 16 *Paramenta, Pluvialia, Calices, Patene &c. reficienda sunt, juxta ordinem à Concilio hic præscriptum.*
- 17 *Idem est servandum si Ecclesia sit polluta, & indigeat reconciliatione.*
- 18 *Ecclesia Parochialis de Jurepatronatus minans ruinam in aliqua parte ejus muri,*

si solo æquatur ab Episcopo, reficienda est expensis Episcopi, non verò Patroni, & num. 20.

- 19 *Patronus ex eo quod aliquando contribuerit pro reparatione, an teneatur idem contribuere in posterum.*

CASUS I.

CUm ædificia suam habeant ætatem, & durationem, ut pluribus Doctorum, ac Poetarum testimoniis probat Gonzal. in cap. 1. de Eccles. ædific. num. 5. sæpè sæpiùs contingit, quòd ob eorum vetustatem collabantur, vel proxima sint ruinæ. Ita accidit Ecclesie Parochiali A de Jurepatronatus, quæ ob ejus antiquitatem, ruinam minabatur in una ex præcipuis ejus partibus muri. Episcopus in visitatione de consensu majoris partis Parochianorum, dissentiente tamen Patrono, demandavit demolitionem hujus Ecclesie, non solum ob ruinam, quam minabatur, verum etiam quia sibi videbatur angusta ob populi numerositatem, ac decrevit illam refici in loco commodiori, ac forma ampliori expensis Patroni, eo quod dicta Ecclesia habita ratione ad tempus antiquum est pauper, & non habet fructus sufficientis pro ejus reedificatione, & quia multoties Patronus illam reparavit, cui decreto acriter contradixit, idem Patronus existimans se ad hanc refectionem minimè teneri; Quaritur quibus expensis hujusmodi Ecclesia sit reficienda, ac reedificanda?

Videtur respondendum quod sit reficienda, ac reedificanda expensis Patroni; Fructus namque, ac redditus hujus Ecclesie Parochialis, habito respectu ad tempus antiquum, vix ascendunt ad scuta triginta insufficientia quidem nè dum pro reparatione Ecclesie, sed etiam pro ipsamet congrua sustentatione Parochi; quo casu clara, & literalis est dispositio hujus

- 2 *Canonis, quod data insufficientia reddituum Ecclesie Parochialis de jurepatronatus; onus illam reparandi, ac reficiendi incumbat Patrono ibi = Qui si non fuerint sufficientes, omnes Patronos &c. omnibus remediis opportunis ad prædicta cogant = quam sequuntur Gonzal. in cap. 1. de Eccles. ædific. num. 8. in fin. Amosaz. de caus. piis tom. 2. lib. 5. cap. 6. num. 19., & seqq.,*

seqq., Bellett. disquisit. clerical. par. 1. §. 14. num. 11., Sperell. decis. 67. num. 10., & seqq., & decis. 68. num. 11., & seqq., Panimoll. decis. 6. adnot. 8. nu. 14., & seqq., Ventrigl. in prax par. 2. annot. 18. §. unic. nu. 15., Barbosa. de Paroch. par. 1. cap. 13. nu. 8., & de offic. & potest. Episcopi par. 3. alleg. 64. num. 16.

3 Fortius animadvertendo quod Patronus multoties reparavit hanc Ecclesiam Parochialem, ex quo sequitur, quod teneatur etiam nunc illam reparare, ac reficere, dum quando adest consuetudo legitime, & laudabiliter introducta reficendi Ecclesiam, illa venit observanda, & illa Personae, quae consueverunt reficere Ecclesiam, aut partem illius, e.g. quae consueverunt instaurare Tabernaculum, reparare Organum, dealbare Ecclesiam, conficere fenestras, Campanas, extruere pavementum &c. tenentur ad horum omnium refectionem, & reparationem. *Surd. conf. 62. lib. 1. nu. 16. Tondut. quaest. benef. cap. 38. num. 9. & cap. 39. num. 6. tom. 1. Pignattell. consult. 60. nu. 4. & seq. tom. 8. Sperell. decis. 67. nu. 38. Amostaz. de caus. piis tom. 2. lib. 5. cap. 6. num. 75. Barbosa. de Paroch. par. 1. cap. 13. num. 12. in fin.*

Non obstat auctoritas Lambertiini expressè sententiis lib. 3. quaest. 7. art. 2. nu. 5., quod Patronus nullatenus teneatur ad refectionem, & reparationem Ecclesiae ibi = *Tu adverte quod ejus verba tangunt duo membra, primum est an Patronus teneatur ad refectionem Ecclesiae, & clarum est, quod non &c. Beneficiatus tenebitur illam reparare = quem sequitur Surd. conf. 62. nu. 6. lib. 1. ibi = Et adeò verum est, quod Rector Ecclesiae tenetur eam reficere, ut procedat etiam si Ecclesia habeat Patronum, quia & si Patronus curare debeat Ecclesiam, tamen Clericus institutus tenetur eam reparare = Quia illa procedit de jure communi, secus hodie post Concilium Tridentinum.*

Neque relevat oppositio, quòd paupertas hujus Ecclesiae Parochialis non probatur de tempore praesenti, sed solum habita ratione ad tempus antiquum, unde Episcopus si praetendat, quòd Parochus non teneatur reficere Ecclesiam, sed quod factus sit casus remedii subsidiarii contributionis videlicet à Patrono faciendae; Parochus onus habet probandi

4 paupertatem de tempore praesenti; Tale siquidem objectum non videtur alicujus roboris, & momenti, cum ad eruendam veritatem duo casus sint distinguendi; Primus est quando Parochus praetendit se non habere congruam sustentationem, & sic se non esse obligatum ad reparationem Ecclesiae, nulla facta probatione paupertatis. Secundus casus est quando Parochus quidem praetendit se de praesenti non habere congruam sustentationem, & per consequens concurrere non posse ad reedificationem, allato tamen aliquo documento, ex quo evidenter deprehendatur, quod saltè de antiquo tempore redditus Ecclesiae Parochialis non erant tales, ut Parocho sufficerent ad victum. Primo casu procedit assumptum, quod sit onus Parochi firmiter probare, si vult adstringere Patronum, aut Parochianos ad reparationem, vel refectionem, se esse pauperem, & non habere summam à sacris Canonibus taxatam pro suis alimentis. Secundo verò casu res aliter se habet, vigore siquidem antiquae probationis de jure praesumitur, quod praecedens paupertas continuet de tempore praesenti, cum communis experientia doceat, quod bona Ecclesiastica tractu temporis mutantur non in melius, sed in pejus, & ita si Patronus, aut Populus habet intentionem se eximendi ab onere subsidiario solvendi pro Ecclesiae reparatione, aut reedificatione, contrarium probare debet, uti distinguunt communiter Doctores in *cap. ex parte de scrutin. in ordine facien. signanter Jo. Andr. nu. 17. Butr. nu. 13. Zabarell. sub num. 3. ibi = Item praesumitur pauper, id est non dives, quia esse divitem est facti, & facta non praesumuntur, postquam autem probatum est semel de talibus, semper sic praesumitur, nisi contrarium probetur = Pacion. de probat. lib. 1. cap. 54. num. 27. ibi = Solebam aliquando distinguere hoc modo, nam aut de paupertate praeterita non constat nisi ex naturali conjectura, quòd quilibet nascatur nudus, & tunc magis communis opinio est, ut ea non sufficiat ad faciendum, quod de praesenti quis sit pauper, ut diximus, & in hoc casu verissima est opinio Bald. Ancharan. & sequacium, qui dicunt ex paupertate praeterita non praesumi paupertatem praesentem, aut ultra naturalem nuditatem, constat*

stat

stat etiam per probationem facti, quod quis de praterito fuit pauper, & tunc potest obtinere opinio Alberic. & aliorum, ut scilicet, qui fuit semel ab antiquo pauper, adhuc presumatur esse pauper = eandem distinctionem firmat Mant. consult. 389. num. 9. & seq.

6 Posita hac distinctione, paupertas prefata Ecclesie Parochialis non fuit probata in casu presenti mediante simplici presumptione, sed mediante positiva facti demonstratione; ad tramites ergo supradictarum Doctrinarum infertur non pertinere ad Parochum in presenti demonstrare, quod non habeat congruam sustentationem; sed Patronus est ille, qui si contendit statum Parochialis Ecclesie fuisse mutatum, precifam habet necessitatem deducendi fundamenta huius mutationis, nimirum quod mediantibus novis fundis, novisque augmentis redditus Ecclesie Parochialis excreverit.

At his non obstantibus censeo in hoc casu supradictam Ecclesiam demolitam, & collapsam esse reedificandam, & reficiendam expensis Episcopi; non vero Patroni, pro cuius veritatis assecutione presupponendum est, ruinam, seu demolitionem Ecclesie, aut Domus Parochialis provenire posse a principio voluntario, scilicet ex negligentia Rectoris Ecclesie, vel ex aliquo damno dato; & a principio necessario, nimirum temporum injuria, casu, alluvione, aut tempestate.

8 Si ruina, & demolitio Ecclesie, aut Domus Parochialis provenit a principio voluntario, seu ex aliquo damno dato, eo quia fuit ab aliquo destructa, & diruta, tunc Ecclesia refici debet expensis illius, qui damnum dedit, aut ex cuius incuria, & negligentia Ecclesia collapsa est, ea distante naturali ratione, quod quis puniendus sit in eo, in quo deliquit; imò ipsi hæredes, & successores damnificantis, & destruentis Ecclesiam tenentur eam reficere, & reparare, quia hæredes tenentur solvere omnia debita Testatoris, si ve proveniant ex actione personali, si ve a delicto, ita enim expressè sancitur in Can. si quis 17. quæst. 4. ibi = Si quis Ecclesiam igne combusserit, quindecim annis pœniteat, & eam sedulo restituat = Et in cap. Quisquis 17. quæst. 4. §. fin. ibi = Si qui Monasteria, vel loca Deo dicata, & Ec-

clesias infringant, & deposita, vel alia, qualibet inde abstrahant damnum novies componant = Text. in cap. fin. de sepult. Gonzal. in cap. 1. de Eccles. edific. num. 7. prope fin. Amostaz. de caus. piis tom. 2. lib. 5. cap. 6. nu. 2. & 16. Ventrigl. in prax. par. 2. annot. 18. §. unic. nu. 38.

9 Si ruina, & demolitio Ecclesie, aut Domus Parochialis provenit a principio necessario, nimirum Terræmotu, alluvione, casu, tempestate, est porum injuria &c. tunc recurrendum est primario ad consuetudinem legitime prescriptam, & illæ Personæ, quæ consueverunt reparare, aut reficere Ecclesiam, cogendæ sunt ad illius refecionem, & reparationem juxta Auctoritates superius relatas num. 3. Seclusa huiusmodi consuetudine Ecclesia, aut Domus Parochialis refici debet juxta graduationem, & ordinem a Concilio in hoc Canone prescriptum, nimirum primò, deducta prius congrua saltè naturali, & necessaria pro Parocho, & ministrantibus Ecclesie: ex redditibus, & fructibus ipsius Ecclesie, si sint sufficientes, aut ab illis Personis, quæ percipiunt Decimas. Surd. conf. 62. nu. 1. & 8. cum seqq. lib. 1. Gonzal. in cap. 1. de Eccles. edific. num. 3. Bellett. disquisit. Clerical. par. 1. §. 14. nu. 1. Barbof. de Paroch. par. 1. cap. 13. nu. 1. & seq. & de offic. & potest. Episcopi par. 3. alleg. 64. nu. 4. Amostaz. de caus. piis tom. 2. lib. 5. cap. 6. nu. 17. Pignattell. consult. 60. num. 2. Sperell. decis. 67. num. 1. & decis. 68. num. 4. Ventrigl. in prax. par. 2. annot. 18. §. unic. num. 6. & num. 11. & seq. Tondut. quæst. benef. cap. 38. num. 10. & seqq. & cap. 39. nu. 5. tom. 1. Rot. decis. 48. nu. 22. coram Bich. & decis. 407. num. 1. & seq. coram Emerix.

10 Et refici debet ab illis Personis, quæ percipiunt emolumenta in fabricam conferenda, ut resolutum fuit a S. Congregatione Concilii in Sabinen. restauracionis Ecclesie 17. Aprilis 1706. ubi quia Communitas Terræ Tarani vigore cujusdam transactionis percipiebat funeralium emolumenta in fabricam conferenda, fuit decretum ad ipsam spectare onus reparationis Navis orientalis Ecclesie S. Mariæ a Terræmotu valde concussæ, non obstante quòd in dicta Ecclesia plures aderant Cappellæ, quæ ad diversos particulares Patronos pertinebant.

11 Si verò isti fructus, & redditus, deducta priùs dicta congrua, sint insufficientes pro reedificatione, & reparatione Ecclesiæ; eo quia Ecclesia ab initio non fuerit sufficienter dotata de omnibus necessariis, tum ad luminaria, vestimenta sacra, congruam Parochi sustentationem, tum etiam ad fabricæ conservationem, & reparationem, prout fieri conveniebat. *Amstaz. de caus. piis tom. 2. lib. 5. cap. 6. num. 18. Barbof. de offic. & potest. Episcopi par. 3. alleg. 64. num. 2.* vel ex eo, quia fructus, & redditus Ecclesiæ fuerint casu, & furtivo deperditi, tunc Patronus tenetur contribuere ad reparationem, & refectionem Ecclesiæ, vel solus, vel unitim cum aliis participantibus de fructibus ejusdem Ecclesiæ si adsint, ut expressè disponitur ab hoc *Canone* ibi *≡ Qui si non fuerint sufficientes, omnes Patronos, & alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt omnibus opportunis remediis ad prædicta cogant ≡* & tradunt omnes auctoritates superius relatæ nu. 2. quibus addo *Rot. in Sawonen Restaurationis Parochialis Ecclesiæ 8. Martii 1709. coram Eminentiss. Scotto superius impress. Par. I. Can. IV. Caf. XI. num. 21.* Secus si insufficientia reddituum proveniret ex incuria, & culpa Rectoris, nimirum ex eo quia ipse alienaverit, donaverit, aut dilapidaverit pecunias, & bona Ecclesiæ ab initio à Patrono sufficienter assignata, tunc enim Patronus non tenetur reficere Ecclesiam, sed Rector debet de proprio Ecclesiam resarcire, ad *Text. in cap. staurimus 12. quæst. 2. Turricell. de reb. Eccles. non alienan. cap. 16. num. 12. Rot. de-*

12 *cis. 222. par. 4. divers.* Et quidem Patronus tenetur reficere, & reparare Ecclesiam etiam si in limine foundationis fuisset appositum pactum, quod corrumpente Ecclesia, dos revocetur, quia hujusmodi pactum etiam de consensu Episcopi appositum non valet; *Lambertin. de Jurepatr. lib. 1. par. 1. quæst. 6. art. 4. num. 12. Bellet. disquisit. Cleric. par. 1. §. 15. num. 16.*

13 Et Episcopus potest eum cogere ad reedificationem, & reparationem intrâ terminum competentem sub pœna privationis juris patronatus, etiam si Patronus esset exemptus à jurisdictione Episcopi; quia exempti cogi possunt per Episcopum ad hujusmodi reedificationem, qua-

cumque appellatione remota, & non obstante exemptione, ut disponitur à Concilio in hoc *Canone*, & in cap. 8. sess. 7. de reform. ibi *≡ Locorum Ordinarii Ecclesias quascumque quomodolibet exemptas auctoritate Apostolica singulis annis visitare teneantur, & opportunis juris remediis providere, ut quæ reparatione indigent, reparentur &c appellationibus, privilegiis, consuetudinibus etiam ab immemorabili tempore præscriptis, judicum deputationibus, & illorum inhibitionibus penitus exclusis ≡* & docent *Amstaz. Sperell. Ventrigl. ubi supra.*

14 Quod si tam Ecclesia Parochialis quam Patronus sint pauperes, & careant sufficientibus facultatibus, tunc Ecclesia, aut Domus Parochialis refici, & reparari debet à Parochianis; & Episcopus potest eos cogere per censuras, aut subtractionem Sacramentorum, ac eis imponere contributionem, & collectam juxta proportionem facultatum, quas possident in Parochia, etiam si sint forenses, dummodo

15 in Parochia possideant bona, & pro majori parte anni ibi morentur, divina audiant, & Sacramenta perficiant; & etiam si Parochianus esset de proximo à dicta Parochia discessurus; quia ut bene advertunt *Sperell. decis. 67. num. 51. Bellett. disquisit. cleric. par. 1. §. 14. num. 7.*, cum onus istud sit de præterito, non potest Parochianus in præjudicium Ecclesiæ domicilium mutare. Vel Episcopus designare valet Personas ad petendas Eleemosynas per Civitatem, & alia loca circumvicina pro ædificatione Ecclesiæ; vel applicare fructus superfluos; & super excedentes alterius Ecclesiæ, quia si isti de jure erogari debent in pauperes, à fortiori erogari poterunt in ædificationem Ecclesiæ pauperis; neque hoc esset contra *Extrav. ambitiosa de reb. Eccles. non alienan.*; quia hæc procedit respectu bonorum immobilium, vel mobilium, quæ sint pretiosa, & servari possunt, non verò respectu rerum mobilium, & fructuum ad alienationem expositorum; juxta *Text. in cap. de his de Eccles. ædific. & in cap. si Episcopus de offic. ordin. in 6.*, & dispositionem Concilii in hoc *Canone*, & latè prosequuntur *Pirhing. in jus Canon. tom. 3. lib. 3. tit. 48. de Eccles. ædific. n. 14. & seqq. Gonzal. in cap. quicumque n. 7. eod. tit. de Eccles. ædific. Salgad. de protect. reg. p. 3. cap. 5. n. 9.*

Anto-

Antonell. de regim. Eccles. lib. 1. cap. 2. §. 4. per tot. Amostaz de caus. piis tom. 2. lib. 5. cap. 6. n. 35. 50. 62. & 64. Surd. conf. 62. n. 19. lib. 1. Pignattell. consult. 60. n. 2. & 6. cum seq. tom. 3. Sperell. decis. 67. n. 8. & seqq. & decis. 68. n. 4. & seq. Ventrigl. in prax. par. 2. annot. 18. §. unic. num. 16. & 19. 21. 23. & seq. Tondut. quæst. benef. cap. 38. n. 5. tom. 1. Belletr. disquisit. cleric. par. 1. §. 14. num. 6. Barbof. de Paroch. p. 1. cap. 13. n. 6. & de offic. & potest. Episcopi par. 3. alleg. 64. n. 6. & 10. Rot. in Savonen. Restaurationis Parochialis Ecclesiæ 8. Martii 1709. coram Eminentissimo Scotto superius impress. Par. I. Can. IV. Cas. XI. num. 14. , & fuit resolutum à S. Congregatione Concilii in Melphien. congrua 27. Junii 1711. , ubi ex defectu reddituum Ecclesiæ, fuit condemnata Universitas Terræ Barilis ad ampliacionem Ecclesiæ Parochialis, illamque reddendam capacem Populi ipsius Ecclesiæ, & in Aliphana Reparationis Cathedralis Ecclesiæ 21. Augusti 1717. , ubi cum testum Cathedralis Ecclesiæ, & fenestræ vitreis specularibus muniri indigerent, attenta tenuitate reddituum Mensæ Episcopalis, & Cleri, fuit declaratum Ecclesiam esse reparandam sumptibus communibus Episcopi, & Universitatis per modum provisionis, & sine præjudicio jurium partium.

- 16 Quæ dicta sunt de Ecclesia, & Domo Parochiali, procedunt quoque in accessoriis ejusdem Ecclesiæ, Paramenta namque etiam, Pluvialia, Ornamenta, Calices, Patenæ, luminaria reficienda, & reparanda sunt expensis Ecclesiæ, si redditus habet sufficientes, si vero habeat redditus insufficientes, tunc aut Patronus constituit ab initio sufficientem dotem, & reficienda sunt expensis Rectoris, aut dedit dotem insufficientem, & tunc Patronus tenetur, & compelli potest ab Ordinario, ut infra terminum competentem provideat Ecclesiam de necessariis sub pœna privationis Jurispatronatus. *Surd. dicto conf. 62. num. 4. lib. 1. Tondut. quæst. benef. cap. 39. n. 9. tom. 1. Sperell. dicta decis. 68. num. 11. & seqq. Ventrigl. in prax. p. 2. annot. 18. §. unic. n. 2. Insuper si Ecclesia*
- 17 sit polluta, & indigeat reconciliacione, tunc reconciliatio faciendâ est in primis expensis ejus, qui Ecclesiam violavit; sed si iste sit incognitus, aut non sit solven-

do, faciendâ est expensis Parochi, etsi iste non possit id præstare, faciendâ est expensis Parochianorum: & si isti quoque ob inopiam non possint, in subsidium tenetur Episcopus, & non Patronus. *Sperell. dicta decis. 68. n. 19.*

- 18 Præsupposita hujusmodi doctrina, ac theorica communiter à Doctoribus admittitur, in casu præsentis ruina, ac demolitio Ecclesiæ Parochialis à Jurepatronatus non provenit à Principio necessario; sed à principio voluntario, nimirum ex damno dato per Episcopum, qui illam demolivit, & solo æquare fecit, dum murus Ecclesiæ, qui ruinam minabatur, poterat commodè, per Patronum reparari, absque necessitate demolendi Ecclesiam; unde juxta auctoritates superius transcriptas num. 8. refici debet, & reedificari expensis Episcopi, qui damnum dedit, non verò Patroni.
- 19 Non obstat quod Patronus aliàs contribuerit pro reparatione, aut refectione Ecclesiæ, quia cum ad id devenerit prævia declaratione se id facere ex mera liberalitate, & non ex debito, nulla inde oritur obligatio idem contribuendi in posterum *Rot. decis. 407. n. 7. coram Emerix jun. & dec. 545. n. 3. par. 3. rec.*
- 20 Et ita in simili casu me studente apud R. P. D. meum Petra resolutum fuit à S. Congregatione Concilii in Senogallien. Reedificationis Ecclesiarum 23. April. 1712. ubi demandata fuit ædificatio novæ Ecclesiæ in situ commodiori Villis Aprici, & Calceroni, sumptibus Episcopi, qui renuentibus nonnullis Parochianis demoliri fecit binas Ecclesias, in quibus alternatim unus Parochus curam Animarum obibat.

An autem in reedificatione novæ Ecclesiæ quis uti possit cœmentis, & materialibus antiquis? Vide quæ dixi *Par. I. Can. IV. Cas. III. n. 7.*

ARGUMENTUM.

Ecclesia Parochialis de Jurepatronatus collapsa, si reaedificari non possit, est transferenda ad Ecclesiam Matricem, seu viciniorem; & si tractu temporis de novo reedificetur, an sit reportanda ad locum antiquum?

SUMMARIUM.

- 1 Ecclesia Parochialis de Jurepatronatus collapsa, si nullatenus reaedificari possit, validè transfertur ad Ecclesiam Matricem, seu viciniorem.
- 2 Refertur resolutio S. Congregationis Concilii in Spoletana Parochialitatis 22. Junii 1686., & 26. Febr. 1695.
- 3 Ecclesia Parochialis collapsa, seu Parochialitas translata ad Ecclesiam viciniorem ab hac removeri, & reportari ad locum antiquum non potest. Amplia, ut n.8.
- 4 Parochus curam Animarum, exercere, ac residere tenetur in sua Ecclesia Parochiali, & in domo Parochiali, & non alibi, ut n.5. & 10.
- 6 Ecclesia diruta, & prophanata amittit consecrationem, & omnia jura Ecclesia.
- 7 Ecclesia reaedificata in situ, ubi antiqua collapsa permanebat, non dicitur antiqua, sed nova Ecclesia.
- 9 Translatio subrogat Ecclesiam novam antiquæ in omnibus ejus juribus, qualitativibus, & prerogativis.
- 10 In dicta Spoletana Parochialitatis die 16. Novembris 1715. fuit recessum à decis.

CASUS II.

Pænitus collapsa à Terræmotu Ecclesia Parochiali A de Jurepatronatus existente in Cacumine Montis, ad quam tempore præsertim hic mali difficilis erat accessus, cum ipsa refici nequiret ob ejus reddituum insufficientiam, & inopiam Patroni, ac Parochianorum; fuit translata de consensu Rectoris, & omnium interesse habentium ad Ecclesiam simplicem B in planicie collocatam, ubi totus fe-
Pars V.

rè Populus curæ morabatur. Tractu temporis reperta in quadam parte muri ejusdem Ecclesiæ collapsæ B. Virginis Icone, ex continuis oblationibus, & eleemosynis Fidelium fuit ibi reaedificata nova Ecclesia, cum Domo satis commoda pro Cappellano, cum eleemosynis collectis stipendiato; Modernus Parochus aeris amænitate, & salubritate, ac oblationum dulcedine allectus removeere intendit Ecclesiam Parochialem, ab Ecclesia simplici B, & illam reportare ad Ecclesiam in culmine Montis de novo ædificatam; quaeritur proindè.

Primò. An translatio dictæ Ecclesiæ Parochialis collapsæ ad Ecclesiam simplicem B sustineatur.

Secundò. An eadem Ecclesia Parochialis sit reportanda ad locum antiquum, seu ad Ecclesiam noviter ædificatam.

- 1 Quod attinet ad primum, pro validitate translationis venit respondendum; Ecclesia namque Parochialis A à Terræmotu funditus ferè collapsa; ob ejus Patroni, ac Parochianorum inopiam, & paupertatem reaedificari non poterat; validè igitur ab Episcopo, ejus Parochialitas, seu cura Animarum translata fuit ad Ecclesiam simplicem B viciniorem; cum Ecclesia Parochialis, quando nullo modo reparari, ac refici valeat, sit demolienda, prophananda, ibique Crux erigenda, & ad Matricem, seu viciniorem Ecclesiam transferenda, juxta litteralem dispositionem hujus Canonis quam sequuntur *Amotaz. de Caus. piis tom. 2. lib. 5. cap. 6. n. 64. Pignattell. consult. 60. num. 19. tom. 8. Sperell. decis. 67. n. 14. Ventrigh. in prax. par. 2. annot. 18. §. unic. n. 27. & seq. Barbos. de Paroch. par. 1. cap. 13. n. 11. & de offic. & potest. Episcopi par. 3. alleg. 64. num. 19., & juxta sensum S. Congregationis Concilii in Aquilana unionis, seu translationis Parochialium 9. Aprilis 1712., ubi binis Ecclesiis Parochialibus à Terræmotu collapsis, cum ob tenuitatem reddituum singularum Ecclesiarum; & ob notam Parochianorum paupertatem, unaquæque earum refici non valuerit, fuit permessa earundem unio, & translatio ad Ecclesiam ex communibus redditibus de novo erigendam.*

- 2 Quod verò spectat ad secundum dubium videtur dicendum, quod dicta Ec-
N cle-

- clesia Parochialis, seu Parochialitas translata ad Ecclesiam simplicem B sit reportanda ad locum antiquum, sive ad Ecclesiam noviter ædificatam; ita namque decisum fuit à S. Congregatione Concilii in *Spoletana Parochialitatis* 22. Junii 1686. & 26. Februar. 1695., ubi collapsa Ecclesia Parochiali sub invocatione S. Michaelis Archangeli in culmine Montis apud Villam Lapidiam existente, fuit ejus Parochialitas translata ad Ecclesiam fraternitatis S. Bernardini; Quoniam verò fidelibus concurrentibus ad B. Virginis Iconem in antiqua Parochiali depictam cum abundantia elemosynarum copia, ædificium præmemorata Ecclesie S. Michaelis decore instauratum, & mansiones contiguæ decenter constructæ fuerunt; prætensionem Parochus excitavit super jure exercendi animarum curam in Ecclesia noviter ædificata, atque habitandi domum annexam; cui S. Congregatio rescripsit *Competere Parochus exercendi curam Animarum, ceterasque functiones Parochiales in dicta Ecclesia S. Michaelis Archangeli restaurata, ac habitandi, domum contiguam, illiusque commoditate fruendi, non obstante concordia inita inter Parochum, & Parochianos die 4. Junii 1689. ministrandi Sacramenta functionesque Ecclesiasticas explendi in Ecclesia S. Bernardini.*
- 3 At hoc non obstante censeo dicendum Parochialitatem dictæ Ecclesie Parochialis A collapsæ removeri non posse ab Ecclesia B, eamque reportari ad Ecclesiam
- 4 noviter ædificatam; quoniam Parochus tenetur residere, & functiones Parochiales peragere, nec non curam animarum exercere in sua Ecclesia Parochiali, qualis est Ecclesia B, ad quam cura Animarum, & Parochialitas translata fuit; ibique continuata per multi temporis spatium ad *Text. in cap. 2. de Paroch. & cap. 1. ad audientiam de Eccles. ædific. Barbos. de Paroch. cap. 11. n. 3. & cap. 12. n. 10. Monacell. formul. Eccles. par. 2. tit. 13. formul. 1. n. 68. & par. 1. tit. 12. form. 7. num. 10.* Ac residere tenetur in Domo propriæ Ecclesie Parochialis, non autem alibi juxta *Fagnan. in cap. extirpandæ §. Si verò n. 12. & seqq. de præben. Garz. de benef. par. 3. cap. 2. num. 179. Barbos. de Paroch. par. 1. cap. 8. n. 1. & seqq.*
- 6 Non obstat Ecclesiam A fuisse antiquam Parochialem, quia in præsentiarum non est amplius Parochialis, sed Ecclesia simplex. Tum quia fuit diruta, & profanata, quo casu amisit consecrationem, & omnia jura Ecclesie ad *Text. in Can. proposuisti de consec. Eccles. Abb. in cap. 2. n. 5. de nov. oper. nunc.* Et licet post detectam
- 7 Imaginem Beatissimæ Virginis in muro Ecclesie dirutæ, nova à fundamentis constructa fuit Ecclesia ex Elementis, tamen hæc non dicitur antiqua Ecclesia, quæ profanata remansit, sed nova, non obstante, quod ædificium factum fuerit in situ, ubi antiqua Ecclesia permanebat, ut tradunt *Abb. in d. cap. 2. n. 5. de nov. oper. nunc. ibique Innoc. n. 2. Jo. Andr. n. 3. Pignattell. consult. 39. n. 1. tom. 10.*
- 8 Tum etiam quia cura Animarum fuit translata à dicta Ecclesia A, ad Ecclesiam B, ubi totus Populus Curæ habitat non provisionaliter, & ad tempus; quo casu esset locus reportationi Parochialitatis ad Ecclesiam antiquam, sed perpetuò propter impossibilitatem reædificationis ejusdem Ecclesie provenientem ob ejus Patroni, ac Parochianorum inopia, propter commoditatem, & necessitatem Populi, & ad hujus instantiam; dum antiqua Ecclesia Parochialis erat incommoda Populo, utpotè posita in cacumine montis, ad quam tempore hyemali difficilis erat Parochianis accessus, & incommodum erat Parochus descendere à Monte ad deferendum Viaticum, & assistendum infirmis: Quæ translatio Curæ fuit in multorum annorum spatio observata; Quo casu prima Ecclesia remanet simplex, nec potest amplius ibi exerceri Cura, & reponi Parochialitas ad merum arbitrium Parochi virtute translationis,
- 9 quæ subrogat Ecclesiam novam antiquæ in omnibus ejus juribus qualitibus, & prærogativis juxta *Gloss. in Can. ex hoc diximus verb. destructa 16. q. 7. Text. in Can. tribus de consec. dist. 1. Rebuff. in prax. benef. tit. de translat. Episc. num. 11. 16. & 19. Rot. coram Seraph. decis. 1149. num. 16.* Et resolutum fuit à S. Congregatione Concilii in *Æsna Translationis Ecclesie Parochialis* 7. Decembris 1709. ubi translata Animarum Cura, & Sacramentorum administratione, quæ exercebatur in Ecclesia Parochiali S. Jacobi Loci

Loci Castri Plani, sive ob ejusdem Ecclesie ruinam, sive ob aliam causam ad Ecclesiam S. Sebastiani ad Communitatem dicti Loci pertinentem, & sub ortis nonnullis dissentionibus inter dictam Communitatem, & Curatum, recursum habuit eadem Communitas ad Sacram Congregationem pro remotione Parochie ab Ecclesia S. Sebastiani, ejusque repositione in antiqua Parochiali S. Jacobi; disputato proinde inter cetera dubio = *An Episcopus teneatur remove Parochiam ab*

Ecclesia S. Sebastiani Patronali Communitatis, & illam reportare ad antiquam Parochialem Ecclesiam S. Jacobi = responsum fuit = *Negative*.

10 Nec adversatur resolutio ejusdem Sacre Congregationis in dicta *Spoletana Parochialitatis*, quia reposita hujusmodi *Causa die 16. Novembris 1715.*, me studente apud R. P. D. meum Petra, recessum fuit a decisio, ac insuper definitum quod Parochus teneatur residere in Ecclesia S. Bernardini.

C A N O N V.

CONCILIUM TRIDENTINUM Sess. XXII. Cap. XI.

SI quem Clericorum, vel Laicorum, quacumque is Dignitate, etiam Imperiali, aut Regali præfulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus Ecclesiasticæ, seu cujusvis sæcularis, vel regularis Beneficii, Montium Pietatis, aliorumque piorum locorum, jurisdictiones, bona, census, ac jura etiam feudalia, & emphyteotica fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones, quæ in ministrorum, & pauperum necessitates converti debent, per se, vel alios, vi, vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas Clericorum, aut Laicorum, seu quacumque arte, aut quocumque quæsito colore in proprios usus convertere, illosque usurpare præsumpserit, seu impedire, nè ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur, is anathemati tamdiù subjaceat, quamdiù jurisdictiones, bona, res, jura, fructus, & redditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione suppositæ personæ, pervenerint, Ecclesie, ejusque administratori, sive beneficiato integrè restituerit, ac deindè à Romano Pontifice absolutionem obtinuerit. Quod si ejusdem Ecclesie Patronus fuerit, etiam jurepatronatus, ultra prædictas penas, eo ipso privatus existat. Clericus verò, qui nefandæ fraudis, & usurpationis hujusmodi fabricator, seu consentiens fuerit, eisdem pœnis subjaceat,